

illud constituit in 11 April. 5<sup>h</sup>, 5<sup>t</sup>, 43<sup>''</sup> pom. ac, cum litera Dominicalis e. a. D. indicet 11<sup>mam</sup> April. esse diem Sabbathi, festum Paschatos in 12 April. vt proxime sequentem Dominicam constitueret, nisi adhuc prius disquirendum foret, vtrum iudaeorum Pascha cum 12 April. coincidant, nec ne. Gregorianum contra calendarium has euitat ambages. Illud enim qui sequuntur, non opus habent determinatione ex tabb. astronomicis plenilunii Paschalis, et multo minus disquisitione de Paschate Iudaico. Quapropter etiam Clavius in eo, (quo iure iam ante ostensum est) summopere gloriatur, quod concursum illum Paschatos iudaici cum Christiano euitet, idque praecipue in excogitandis cyclis propositum habuerit, ex eaque ratione, vt de la Lande in Astronom. editionis nouissima tom. II. §. 1589 docet, non nisi tribus diebus epactas lunares a Concilio Nicaeno vsque ad praesens seculum, cum quatuor augendae fuissent, auxerit. Cum Gregorianum Calendarium semper cyclicam rationem, emendatum vero astronomicam sequatur, nemo facile erit, qui arbitretur, Calendaria solummodo memoratis annis discrepare. Discrepant profecto singulis annis, quod tamen non nisi a rerum harum peritis percipitur, et discrepantia illa afficit ipsa semper plenilunia Paschalia, quae diuersis in vtroque, non horis, sed diebus etiam, constituuntur, quamquam hoc dissensu non semper Paschatos festum turbetur. Nam si, vt saepe fit, eiusmodi annis contingat, vt hi duo dies, circa Plenilunium discrepantes, in eandem hebdomadem, vnus e. g. in diem Mercurii, alter in diem Iouis vel Veneris, incidant, cum vtrique eandem diem dominicam proximam habeant, non possunt non eandem vtriusque Calendarii sectatores pro die Paschatos agnoscere. Neque denique perspectu est difficile, astronomicam rationem esse verissimam, cyclicam vero semper falsam et erroneam, quamuis ea concursum Paschatos  
Chri-